SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

## Werk

**Titel:** D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

**Autor:** Blumenbach, Johann Friedrich

**Verlag:** Dieterich

**Ort:** Gottingae

**Jahr:** 1821

**Kollektion:** Blumenbachiana

**Werk Id:** PPN659038048

**PURL:** http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN659038048|LOG_0029

**OPAC:** http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

# SECTIO XXIII.

## DE
## DIGESTIONE.

§. 351.

Eſt autem digeſtionis officina *ventriculus* in univerſum magis quam ullum aliud viſcus animantibus ad unum fortaſſis omnibus communis, et ſi exinde dignitatem interaneorum aeſtumare velles, omnium facile princeps dicendus.

§. 352.

Humanus quidem ventriculus *) inſignis amplitudinis utrem refert, in adulto plerumque trium et quod excurrit aquae librarum capax, duplicique oſtio inſtructus:

ſuperno altero, quod *cardiam* nominaverunt, quo nempe oeſophagus plicata et

*) Eustachii tab. X. fig. 1. 2. 3.
Ruysch *theſ. anat.* II. tab. V. fig. 1.
Santorini *tab. poſth.* XI.

obliquius recedente apertura in ipſum ſtomachum dilatatur, eiusdemque fundum, ſiniſtrorſum locatum, ſpectat:

altero inferiore, in quod dextra eaque anguſtior ventriculi pars abit, quodque *pylorum* vocant, et quod in vicini duodeni cavum paululum deſcendit.

§. 353.

Situs autem ventriculo non idem eſt vacuo ac repleto; cum *ille* flaccidus ita dependeat in abdominale cavum, ut maior eius curvatura deorſum ſpectet, pylorus autem ſurſum directus plicatum cum duodeno angulum efficiat *):

*hic* vero cibis turgens maiore iſta curvatura antrorſum voluatur **), ita ut pylorus tunc rectiore via in duodenum tendat, cardia vero e contrario in angulum quaſi complicata occludatur.

---

*) Vesalius *de c. h. fabrica* L. V. fig. 14. 15.

**) Id. l. c. fig. 2.

§. 354.

Tunicae ventriculum conſtituunt quaternae principes, tribus aliis mere celluloſis quae iſtas interiacent, diſtinctae.

*Extima* iſtarum ventriculo cum reliquo tubo inteſtinali tantum non omni communis eſt, et in omenta infra dicenda, continuatur.

Excipit hanc ope celluloſae tunicae ipſi iuncta *muſcularis* valde memorabilis, cum ab ea inſignis ventriculi irritabilitas (§. 300.), pendeat. Contexta autem eſt ſtratis fibrarum muſcularium *), quae quidem vulgo in tres ordines dividere ſolent, unum nempe longitudinalium et binos circularium; (rectarum nempe et obliquarum fibrarum); quae tamen infinitis adeo modis variare conſtat, ut vix quidquam certi de earum directione et diſtributione ſtatuere liceat.

*) cf. poſt Hallerum Bertin in *Mém. de l'ac. des ſc. de Paris* a. 1761.

Sequitur tertia membrana princeps, quam *nerveam* vocant, inepta ſane appellatione, cum ex tela mucoſa conſtet ſtipata, utraque pagina in laxiorem abiente, quibus exterius muſculari, interius villoſae mox nominandae, nectitur. Firma autem eſt et robuſta, adeo ut totius ventriculi baſis dicta ſit.

*Intima* denique (praeter epithelium univerſum tubi alimentarii cavum inveſtiens), quam et abuſive villoſam vocant, molliſſima eſt, quaſi ſpongioſa, poroſa, et in numeroſas complicata rugas *), ita ut area eius longe amplior ſit quam ea ceterarum quas diximus tunicarum; paſſim cellulas exhibet minutiſſimas **), iis longe maioribus, quibus reticulum ruminantium elegantiſſime diſtinctum eſt, aliquomodo comparandas.

Muco intima eius ſuperficies obducitur, ex cryptis ut videtur muciparis

*) Ruysch *theſ. anat.* II. tab. V. fig. 2. 3. 4. *

**) v. G. Fordyce *on the digeſtion of food* p. 12. 59. 191.

oriundo, quas ſane ad pylorum ſatis luculenter diſtinguere licet.

§. 355.

Inſigni inſtruitur ventriculus nervorum apparatu *), ex utroque cuius ſupra meminimus (§. 214.) nervorum ſyſtemate oriundo, unde tam ſummam eius ſenſilitatem repetere licet, (qua tam facillime ab omnis fere generis ſtimulis afficitur, ſintve externi, frigoris etc., ſintve interni aut ab ingeſtis, aut ab ipſis humoribus inquilinis profecti, ſintve denique mentales:) quam ingentem illum et plane mirabilem conſenſum, quem cum longe plerisque reliqui corporis functionibus alit; quo praeſertim et animi commotionum ad unam omnium in ventriculum imperium, et huius e contrario organi eiusque integritatis in animi ſerenitatem potentiſſimus influxus pertinet **).

*) Walter *tab. nervor. thorac. et abdom.* tab. IV.

**) Jo. H. Rahn *mirum inter caput et viſcera abdominis commercium.* Gotting. 1771. 4.

§. 356.

Sed non minus memorabilis vaſorum quoque ventriculi ſanguiferorum et copia et functio eſt, utpote cuius arteriolae infinitis ramuſculorum ſeriebus celluloſas eius membranas earumque glandulas perreptantes, *ſuccum* ſecernunt *gaſtricum*, qui ex intima ventriculi ſuperficie perpetuis quaſi rivulis deſtillare videtur.

§. 357.

In univerſum quidem is ſuccus quoad partes ſuas conſtitutivas ſalivae haud diſſimilis apparet, aeque antiſepticus, validiſſimum menſtruum *), ipſum lactis coagulum ſenſim iterum reſolvens **).

---

Dit. Vegens *de ſympathia inter ventriculum et caput.* LB. 1784. 4.

Wrisberg in *commentat. ſociet. ſcientiar. Gottingenſ.* T. XVI.

*) Ed. Stevens *de alimentorum concoctione* Edinb. 1777. 8.

Laz. Spallanzani *Diſſertazioni di fiſica animale e vegetabile.* Mutin. 1780. 8. Vol. I.

**) cf. Veratti in *Comment. inſtituti Bononienſ.* Tom. VI.

§. 358.

Et ipſi quidem huicce ſucco principes in digeſtionis negotio partes tribuendae videntur, qui victum, ſi nempe bene manſus et ſalivali menſtruo rite ſubactus fuerit, ultro reſolvit *) et ita in pultaceum chymum vertit ut qualitates ſpecificae quamplurimis ingeſtis demantur, mutationes quibus ex legibus mere chemicis obnoxia forent, ut putredo, rancor et ſ. p. arceantur, et novae e contrario futuram chylificationem praeparantes, iisdem impertiantur **).

§. 359.

Adiuvari autem eam maximi momenti functionem non unius generis viribus acceſſoriis et quaſi ſubſidiariis probabile eſt, inter quas *motum periſtalti-*

*) Quid quod et in funere ipſum ventriculum tunc inertem et vi ſua vitali orbum ſubinde macerare et quaſi digerere videtur. cfr. Jo. Hunter *on the digeſtion of the ſtomach after death.* in *philoſ. Transact.* Vol. LXII.

**) cf. Ign. Doellinger *Grundriſs der Naturlehre des menſchlichen Organiſmus* pag. 88.

*cum* eminere cenſent, quo quidem cibalis ea puls perpetua undulatoria agitatione conquaſſetur et ſubigatur *). Vix tamen adhuc extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, num ventriculus ſanus revera perpetuo periſtaltico motu agitetur; imo vero etiamſi agitatur, uſus tamen iſtius undulatae commotionis princeps eo redire videtur, ut rite digeſta deorſum urgeat, cum e contrario ea quae ſubigi oportet adhuc antequam ſatis ſubacta ſunt, motu antiperiſtaltico a pyloro repellantur quaſi et retrorſum agantur.

§. 360.

Ad reliquas autem eiusmodi facultates adiutrices referunt tum alterum motum a preli abdominalis rhythmo ventriculo accedentem; tum calidiſſimam huius viſceris ſedem, quod ab inſigni vicinorum vaſorum et viſcerum ſanguinis copia foveatur, quem ipſum fotum tanti

*) cf. Wepferi *cicutae aquaticae hiſtoria et noxae*; innumeris locis.

olim aeſtimarunt, ut coctionis voce pro digeſtione uterentur.

§. 361.

Temporis periodum conſtituere, quo ingeſta iunctis hiſce quae hactenus enarravimus viribus in chymum mutentur vix poſſibile videbitur cogitanti, quam multifaria ratione id pendeat cum a qualitate et quantitate ingeſtorum, tum a vario virium digerentium virtutis gradu, ſed et a curatiore aut negligentiore maſticatione qua ingeſta ad digeſtionem praeparantur etc.

In ſano enim homine vegetus ventriculus digeſtibiles ingeſtorum partes non prius dimittit quam in pultem verſae ſint. Unde per ſe liquet pro victus varietate varium quoque ad eius digeſtionem tempus requiri *), quod tamen ſi quid in univerſum de eo conſtituere licet eo redire videtur, ut intra tertiam ad

*) cfr. Jo. Walaeus *de motu chyli* pag. 534. ed LB. 1651. 8.

ſextam usque poſt paſtum horam ventriculus plerumque contentam pultem ſenſim ſenſimque per pylorum emiſerit.

§. 362.

Eſt autem *pylorus* *) annularis limbus, non ut aliae ventriculi interni rugae unice a villoſa eius tunica formatus, ſed et a ſubiacentis nerveae faſciculis, quin imo et a muſcularis membranae ſingularibus quibusdam fibris: quae omnia fere conoideum ventriculi exitum conſtituunt, qui fere ut uteri oſtium in vaginam ita in duodenum porrigitur, et ab eodem quaſi comprehenditur.

*) H. Palm. Leveling *diſſ. ſiſtens pylorum* etc. Argent. 1764. 4. recuſ. in Sandiforti *theſ.* Vol. III.